

ratum properantes. Ceterum sequenti die Jacobus Vermentis, qui eosdem insequatur, ut reliquias omnes deleat, haud longe a Nicia oppido illos adsecutus penitus profligavit. Comes altero post captivitatem die cum vulnerum dolore, tum maximo spasmus ex armorum pondere, atque aestu vitam cum morte commutavit, cujus cadaver defertur in ædem Divi Marci. Captivi post multos menses, equis, & armis spoliati dimittuntur, quo fit, ut aperte convincatur multum Reverendus Gaspar Buggattus Dominicanus, historiae Mediolanensis scriptor, amicus meus summus ob morum præstantiam, qui rem aliter prædicavit. Quidquid sit, eo ipso in prælio capiuntur Rainaldus Joanfiliacius, & Johannes Ritus equites Florentini, qui eundem Comitem Armeniacum in Italiam impulerant, ut Galeatium Vicecomitem Mediolani Ducem ab consilio devastandi agros Florentinos, & ab eo bello suscipiendo detrimento removerent. Eodem anno ex voto per Vermentem, & Rempublicam in tam periculoso bello, & in tanto rerum discrimine erepti (2), ac divino beneficio tam insignem victoriam adepti Alexandrini templum S. Jacobo, quod ab hac victoria, VICTORIÆ appellatur, ædificant, honestisque prædiis ornatur, quæ etiam unnc fratres Eremitani Conventuales Ordinis S. Augustini possident. Contulitque quoque idem Jacobus Vermentis quamdam pecuniarum quantitatem, quam in ærario publico Venetiis habebat, ut inde fratres sex, qui Missam celebrarent quotidie, & duos conversos, qui illi inservirent, honeste alii possent, quotannisque Civitas, & Ducale ærarium ex eodem voto paramentum, quod appellant, aut pecunia ad æstimationem offerunt. In prædiis donatis Monasterio extat adhuc solum (3) (Carnerium vocant), in quo Gallorum cadavera recondita sunt. Statim post victoriam scilicet consultum est, & pietati Christianæ cum sepulturæ cadavera sunt mandata, & incolumitati Civitatis, ne foetore putrescentium cadaverum cælum infestum, & corruptum pestilentiam gigneret. Publicæ quoque lætitiæ fiunt, Deoque gratias aguntur, non Alexandria solum verum, & per totam conditionem Jo. Galeatii. Enituit in hoc ingenti discrimine prudentia Jacobi Vermentis, atque Alexandrinæ juventutis virtus, & alacritas. Itaque in concione apud totum exercitum ab eodem Jacobo sæpe repetitus dicitur, versus hic, dum virtutem suorum laudat: mille pedites decem millia fortissimos equitum cadunt.

(1) Ducum MS. (2) Conceptum MS.

(3) Sonus MS.

MCCCXCII. Ob immensa tributa a Johanne Galeatio imposita, & ob acerbis exactiones tributorum multo graviorum, quam ut ferri possent, populus Alexandrinus correptis armis, & cursu ad campanile, quod appellant, adrepto, quod fuit publicum tabularium libros catastri, ac privilegia pontificia, & imperatoria abrepta incendunt, quo factum est, ut multum detrimenti ex hac populi temeritate Civitas perpeffa fuerit, monumentaque egregia rerum ante gestarum deperierint, ut liquido nesciri possit tabulis illis publicis amissis, unde quæque familiæ originem habuerint, & a quibus op-

pidis, vel urbibus singulæ venerint. Omnia enim prædicta, ut multa alia voraci flamma comburuntur. Sed ad comprimendum populi motum Jo. Galeatius quinquecentum equites in urbem misit veritus, ne longius dolor conceptus serperet. Cæterum princeps ille lubentissime veniam condonavit, tum quia percipiebat id commissum fuisse ex dolore acerbissimorum tributorum, tum victoriæ recentis memoria, quam post Deum ab Alexandrinis maxime agnoscebat, ad lenitatem illum magnopere flexit.

MCCCXCV. Vincislao Imperatore mittente Comes Curium qui Benefius appellabatur Mediolanum, ut Ducalem hereditatem Joanne Galeatio traderet, honorificentissime, & splendide recipitur, regioque apparatu ab eodem decoratur. Demum die quinta mensis septembris præviis multis cæremoniis in foro D. Ambrosii maxima adstante multitudine coronatur, ejusdemque potestati urbes, oppida, & terræ infra scriptæ committuntur: Mediolanum cum comitatu, Brixia, Bergomum, Novum Comum, Novaria, Vercellæ, Alexandria, Placentia, Parma, Cremona, Laus Pompeja, Derthona, Bobium, Regium cum subjectis territoriis, Tridentum, Crema, Soncinum, Burgum S. Donini, Pontremulum, Massanova, Felizianum cum arce Aratii cum omnibus, quæ ad civitatem Astensem pertinent, Serravallis, & quæ sub imperio Romano erant, Verona, Vicentia, Feltrium, Bellunum, Bassanum, Sarezana, Faventia, Carrara, S. Stephanus, & omnia castra, oppidaque Lunensis Diæcesis, de quibus omnibus Jo. Galeatius juramentum fidelitatis memorato Benefio Imperatoris Legato conceptis verbis præstitit.

MCCCXCVI. Die primo mensis maii Civitas una cum antianis Legatis ad Jo. Galeatium destinatis, Gottifredo Ubaldino Florentino urbis Prætoris, Thomasolo Guasco milite, Thoma Puteo, Corradino Lanzavecchia, Beltramo Gambarino Jurisconsulto, Antonio Trotto Ubertoni, & Ochino Invitiato juramentum clientelare Duci præstiterunt.

MCCCXCVII. Præturam gessit Civitatis Joannes Pusterla Mediolanensis, & a Vincislao Imperatore Jo. Galeatius Dux Mediolani, Papiæ, & Angliæ comes creatur.

MCCCXCVIII. Peste laboratum fuit per viginti proximos menses, quo anno ad Dei misericordiam implorandam in Gallia ulteriori, tum mares, quam faminae albis induti vestibus Ecclesias tum patrias, tum finitimas invisere instituerunt; quod & in Italia itidem fiebat. Præcedebant duo Clerici vexillum Crucis deferentes, alii vero bini hymnos, & psalmos cantabant. Utebantur Cruce rubea, inaudito quotidie vestium genere utentes, quo factum fuit, ut multæ sedarentur discordiæ; multa restinguerentur odia: processio ista misericordiæ vocata fuit.

MCCCC. De mense julii Cometa miræ magnitudinis per duos continuos menses apparuit, quæ mortem Jo. Galeatii Vicecomitis, & mutationem domini juxta fallacem multorum sæpe credentiam prædixit. Eodem anno tamen Jo. Galeatius Vicecomes Mediolani Dux, & Papiæ, Angliæque Comes in Melegnano moritur ætatis annorum quinquagintaquinque. Ob id Alexandrina civitas producendis ejus obsequiis Legatos destinat Corradi-